

I, 16.



I, 16.

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
GEORGIVS
R V D O L P H V S
BOEHMER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANIC. PROF. PVBL.

ORDINARIVS

I N S T I T U T U M

GOTTLOB GVILLIELMI KVNERTI

GRIBSTENIO MISNICI

LL. CVLTORIS

LIBERALITATIS WOLFRAMSDORFIAE MEMORIAM
ORATIONE ANNIVERSARIA

D. III. NON. APRIL. A. R. S. C¹⁵10 CCLXII.

I N A V D I T O R I O M A I O R I

C E L E B R A T V R I

C I V I T B V S

ET STVDIORVM FAVTORIBVS

C O M M E N D A T

Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen X.

de originibus Saxoniciis V.

VITEBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTL OB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS

1670. BONIUS LOCUTUS EST A VATORIBVS

V. J.)

Licit Ptolemaei demum et Marciani aetate
verum et proprium Saxonum nomen in
Graecos et Romanos euulgatum sit, non
ideo e silentio tamen priorum scriptorum
recte collegeris, tum demum istis in insu-
lis et angustiore Chersonesi continente sedem na-
tus fuisse. Videntur enim diutius aut communi
quodam vocabulo, aut vicinorum et sociorum no-
minibus adpellati, eas opes circa litora, ab ipsis
postmodum dicta, parasse; quibus Romanam etiam
potentiam laceſſere tandem ausi sunt. Persuadent
hoc nobis res diu ante a Germanorum nationibus
gestae, quibus id ipsum accidisse, cognoscimus. In
bello Cimbrico, huic genti, a qua nomen habuit,
socii adduntur Teutoni et Ambrones, antequam
Tigurini progressis ad Ligurum confinia se iunxit-
ſent. Cimbros sui corporis fuisse populum, inter
omnes constat. De Ambronibus paullo inferius
idem probabimus. Sed enim quos Teutonos Ro-
mani, necdum percognita Germania, vocabant, fu-
isse tantum foederatos quosdam, sine certo nomi-
ne, variarum forte nationum, multis rebus fit fides.
Nam nemo in hunc diem singularem gentem,
quae prae aliis Germanis sic vocata fuerit, proba-
bilis argumentis ostendere potuit, neque vete-
rum quisquam illorum definite sedes prodidit. Ad-
pellatio quidem ea Cimbrorum nomini subiicitur;
sed satis patet, perinde hoc factum esse, atque si
dictum esset, fuisse Cimbros et Germanos: eodem
prorsus exemplo, quo ob Tigurinos etiam Germa-
norum et Gallorum gentes vocantur ab EUTROPIO

(l. V.

(l. V. c. I. 9.) et OROSIO. (l. V. c. XVI.) Fuisse Roma-
nis hunc morem, vbi de foedere ignotiorum po-
pulorum loquendum esset, nomen a genere toto
postremum adponere, FASTI CAPITOLINI (ad
A. V. C. I. XXX.) docent, in quibus Cl. Marcellus,
Viridomari victor, triumphasse legitur *de Gallois,*
Insubribus, ET GERMANIS. Scriptores hinc alii
nullam Teutonorum mentionem fecerunt, sicuti
STRABO; cuius in his magna est auctoritas; neque
TACITVS in Germania villam Teutonum peculia-
rem regionem nouerat. Recte IDEM (Germ. c. II.)
tamen ex antiquis carminibus Tuistonem condito-
rem memorat, ut nobis quidem videtur, auctorem
huius nominis domestici; quum Germanorum or-
tum ex interpretatione Romana, quia se fratres in-
vicem compellasse ipsos e PLUTARCHO (in vit.
Marii p. 419.) discimus; facile adsentiamur STRA-
BONI (l. VII. init.); a quo nec TACITVS dissensif-
fe (Germ. c. II.) existimandus erit, quum a Tun-
gris, Gallorum victoribus, tractum statuit. Nam
quod scribit *a viatore*, quam scripturam optime vin-
dicant BOXHORNIUS et LEIBNITIUS, ob metum
sic vocatos, nihil aliud indicavit, quam appellatio-
nem formidatae nationis ad reliquos eiusdem stir-
pis transiisse, inuentam illorum fortuito errore, qui
fratrum salutationem pro nomine acceperant, et ab
ipsis demum adscitam, tanquam auspicatam, et
terrori vicinis futuram, ob interioris Germaniae
vires et tot populorum cognationem atque soci-
tatem sanguinis morumque. Subtiliter est a viris
eruditis obseruatum, hanc de Tuistone persuasionem

geminam fuisse Gallorum opinioni, qui teste CAESA-
RE (de b. G.l. V i. c. XVIII.), secundum Druidum
doctrinas, se omnes a Dite patre prognatos praedica-
bant. Hic Teutates idem Celticus heros, communi
olim plurium gentium religione cultus, quid mirum,
si nomen, veluti sanctius et augustius, cultoribus
Germaniae vniuersis dedit, inter quos, vel ominis
caussa, idem frequentatum in singulis etiam homi-
nibus, vt Teuta, Teutobocco, Teutomero, Teu-
doualdo, Teudoberto, aliis; in quibus variatio
quarti elementi diuersae solum enuntiationi debe-
tur? Sunt digna lectu, quae de isto Teutate, vt to-
tius gentis conditore commentantur tam w. CHR.
KRIEGSMANNVS, (Coniectan. de orig. gent.
Germ.) quam GVNDLINGIVS iunior. (Gundlin-
gian. P. VII. n. I.) Voluit quidem PTOLEMAEVS
(Geogr. l. II. c. XI.) ipsos collocare inter Pharoden-
nos et Sueuos post Chalusum amne, Auarpis fi-
nitimos. Sed, vt taceamus, ex incompertis voca-
bulis Pharodenorum, et Auarporum, quorum
neutrum cum aliorum meliorum scriptorum fi-
de consentit, neque coniecturis et correctionibus
acutorum hominum quidquam adhuc profectum
fuit, iam suspicionem oriri; ipsa Sueorum adpella-
tio, nullius gentis certis finibus colentis propria,
satis arguit, ex incerta fama et nomine vago isthaec
prodi. Paris sunt momenti, quae PLINIVS scripsit:
(Hist. N. l. IV. c. XIV.) Alterum genus Ingeuonum;
quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Cauchorum gentes.
Nominibus enim his singulis plures nationes com-
prehendi quisque intelligat; et POMPONIVS ME-

LA

LA (l. III. c. III.) amplius confirmat. Scribit enim:
In eo (sinu Codano) *sunt Cimbri et Teutoni: ultra,*
vltimi Germaniae Hermiones. Quid, quod IDEM
(l. IIII. c. VI.) de septem insulis, contra Germaniam
post Orcades proiectis, quas Hemodes vocat: *Ex*
iis Codononia, quam adhuc Teutoni tenent, ut ma-
gnitudine alias, ita fecunditate antestat. Hanc ve-
ro Cadanoniam, tanta magnitudine, quis monstra-
uerit, nisi Scandinauiam interpretetur, vti quidam
in Mela legunt? Quantus vero hic dissensus a PTO-
LEMAEO et PLINIO? Quorum ille post Trauam,
si vſitatas Chalusi amnis interpretationes sequimur,
hic vero prope Albis ostium, in Chaeorum confi-
niis, Teutones collocant. At longe magis his et
sibi quoque ipſi contradicit PLINIVS alibi, (l.
XXXVII. c. II.) quando succinum ab insulae Aba-
li incolis proximis Teutonis vendi, auctore PY-
THEA, testatur, quod tamen in Pannoniam a Ger-
manis adferri, indeque Venetos, Pannoniae proxi-
mos, primum rei famam fecisse, id accipientes cir-
ca mare Adriaticum, idonea fide ibidem docet; quam
etiam aliunde tuentur, HARTKNOCHIVS et BEYER.
En ergo Teutonos Vistulae accolas et Pannoniae
confines! Tot spatia terrarum disiunctarum erutne
indice nomen hoc varias nationes complexum com-
muniter; imo, arbitris viris eruditissimis, indigenas
Germaniae vniuersos, antequam per Tungros aliud
inuenierant? Si ergo Saxones iam tunc sedes illos in
vicinia Cimbrorum tenuisse constaret, dubitandum
minime videretur, communi calamitate tactos, et
simul partem domo egressam sub isto adhuc Teuto-

num vniuersali nomine, vt plures in ea societate,
latuisse. Accedit aliunde veri similitudo. Quae
veteres de terrarum inundatione Cimbris atque so-
ciis migrandi caussam dante prodiderunt, STRABO
quidem falsi arguere voluit; sed quod satis adparet,
ignarus aestus et violentiae istorum marium, de
quo in specimine harum antiquitatum VII. tot do-
cumenta attulimus; plura etiam adferre possemus,
si operae foret pretium. Hac fugiendi maris saeu-
tiā necessitate Ambrones nominatim ad quaeren-
das alias sedes compulsi in FESTI reliquiis (v. Am-
brones) traduntur. Ibidem legimus conuitii fere
loco sic esse vocatos, qui patria extores praedandi
caussa vagarentur. Non nos fugiunt opiniones vi-
rorum doctorum, de Ammerona Heluetiorum, vel
Ambra, qui in Visurgim ab occidente cadit, fluuiis,
quorum accolae Ambrones fuerint. Sed ex Helue-
tiis hi si prodiissent, tam parum, quam Tigurini, a
Romanis ignorari potuissent, nec Cimbrico inde ab
oceano prodiisse memorarentur. Quum etiam Ti-
gurini postea semper in Heluetiis superfuerint; cur
nemo vel vnicum hominem Ambronem probo an-
tiquitatis testimonio Marii post victoriam in iis
ostendere potuit? Cur non TACITO faltem per bel-
la Vitellii aut aliunde innotuisserint? Tanta excidia
forte nemo crediderit. Idem plane de Ambra, ter-
ras tot vestigiis Romanorum signatas secante, lo-
cum habet. Quantae gloriae futurum erat Ger-
manico, inter titulos victoriarum Ambrones legi?
Nec scrutari noluissent victores, si quae ibi reliquia
concedissent, aut vel nominis indicium deprehen-
sum

sum esset. Et in haec loca inundationes ab oceano non pertigissent. Posterioris aeu*i* nomina, a scriptoribus rerum Francicarum saepius ad imitationem vetustatis inflexa, non moramur. Illis pinguis Ambra fluuius, qui nostro ore Emmer enuntiatur. Nemo etiam, qui hunc memorauit, ab eo accolis aut circumiectae regioni nomen imposuit, vt erudit*e* ostendit GRUPENIUS, V. Cl. (orig. Pyrmont. p. I. sq.) Praeterea ex sola similitudine vocabulorum non possunt instaurari memoriae vetustissimae, nisi alia ab attributis, temporibus, locis, atque personis in uno simul conueniant. At enim inter Saxones, e Chersoneso Cimbrica et suis insulis in Britanniam digressos, sero adhuc Ambrones monstrabimus. NENNIVS, scriptor rerum Britanniae, ut domesticus, ita antiquitate et fide praecipius, Saxones, recens Christo conciliatos, a veteranis huius religionis, veluti per contemptum, aliquoties Ambrones fuisse appellatos refert; non valde dissimili exemplo, quam Remigii apud GREGORIVM, (l. II. c. XXXI.) Chlodoueum Sigambrum vocantis. Et apud SIGEBERTVM GEMBLAC., qui sua ex antiquioribus fere iisdem verbis describit, (Chron. ad A.C. CCCCLXVI.) Arthur Pendragon, Saxones, quos vicerat, Ambrones iratus appellat. Sed enim uero hic eorum si recordabimur, quae ex FESTI reliquiis de vsu huius nominis monuimus, et quae de Teutonum non minus, quam Ambronum sedibus, veteres affirmant, num dubitabimus Saxonum maiores, aut priores certe soli ab iis postea occupati possessores, bello iam Cimbrico nobilitatos fuisse? ADAMVS etiam, bonus de rebus istarum regionum auctor, (de sit. Dan. et rel. septentr. reg.

p. 146. ed. Bangert.) aperte insulam *Imbram* refert, quam conuenientibus nominibus et descriptionibus in reliquas omnes, quas narrat, hodie ex maxima parte profundo mersam, ut vix inter minimas numeretur; perditum etiam nomine est credibile: qua ex re forte conieceris, ubi vera quondam Ambronum sedes fuerit, cuius absorptis paullatim terris, ipsum quoque nomen demum mare infestum furansque aboleuerit, quam naturam eius isto etiam in sinu ex TERPAGRO, alisque auctoribus, adprobare liceret. Sed ne quis fors obiciat: si iam Teutones Ambronesque inter maiores Saxonum, belli Cimbrici tempestate; cur nulla illorum Romanis notitia certior? Hoc primum respondemus: causas mutatorum repente nominum ipsos inter Germanos Romanis plerumque fuisse incompartas, ut vel exemplo Francorum liquido constat. Alterum, quod regeramus, hoc habemus, Saxones, nostra sane ex sententia, hoc a captis sedibus nomen, ut nuper exposuimus, prius adsumere non potuisse, quam certo in solo eas obtinerent, scriptorum autem Graecorum et Romanorum plerorumque ea post tempora eam esse incuriam inficetiamque, ut saepius mirandum sit, cur non exemplo nostrorum ex veteris Asiae Safacena eos repetierint! Gratulabimur autem saeculo, si tali industria ex vetustatis naufragio vel aliquot fractas tabulas rursus colligere licuerit. Wolframsdorffiana liberalitatis apud nos beneficio obstrictus GÖTTLOB GUILIELMVS KVNERT, Gribstenio Misnicus LL. cultor, ut pietatem reliquorum alumnorum nomine declaret, d. III. Non. April. maiori in auditorio orationem de iustitia et beneficentia, tanquam humanae societatis vinculis, habiturus est. Vestris, CIVES, officiis non deeritis, et honorem, instituto tam salutari debitum, lubentes tribuetis, ut memoriae viri perillustris et de nostra academia immortaliter meriti, ita etiam honestissimo oratoris proposito. Ita Deus optimus maximus nos tandem in his calamitatibus respiciat, et, restituta Europae pace, laetiora, et Musis amiciora tempora reducat!

P. P. Vitebergae d. IV. Non. April. A. S. R. 1663
CLO 1662.




Th 2972

ULB Halle
007 441 851

3



Farbkarte #13



B.I.G.
RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
GEORGIVS
RUDOLPHVS
BOEHMER
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANIC. PROF. PVBL.
ORDINARIUS
INSTYTUTVM
GOTTLLOB GVILIELMI KVNERTI
GRIBSTENIO MISNICI
LL. CVLTORIS
LIBERALITATIS WOLFRAMSDORFIAE MEMORIAM
ORATIONE ANNIVERSARIA
D. III. NON. APRIL. A. R. S. C. 1515 CCLXII.
IN AUDITORIO MAIORI
CELEBRATVR
CIVITBV
ET STVDIORVM FAVTORIEVS
COMMENDAT
Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen X.
de originibus Saxoniciis V.

VITEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS
VII.